



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Astruitur sententia affirmativa D. Thomæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

4. Et ratio à priori.
5. Quomodo peccans ex scientia nihilominus habeat errorem?
6. Quomodo peccantes contra conscientiam habeant errorem?
7. In sensu composito iudicii recti voluntas non potest errare impotentiā consequenti.
8. Absurda objecta amoveantur.

§. I.

Adstruitur sententia affirmativa D. Thomæ.

1. Notandum primò. Errorem dividi in speculativum & practicum. Speculativus est, quo quis absolute & præsciendò ab operis executione iudicat esse licitum, quod est illicitum; vel econtra. Practicus est, quo quis iudicat; hic & nunc aliquid esse faciendum, quod est omittendum, vel econtra.

2. Notandum secundò. Errorem alium esse formalem, alium virtualem. Formalis est iudicium falsum, objectum aliter enuntians quàm est: Error vel ignorantia virtualis est defectus & omissio actualis considerationis, quam quis hic & nunc deberet habere circa objectum à se habitualiter cognitum. His positis sit

CONCLUSIO. *Voluntas non potest peccare, nisi aliquis error practicus saltem virtualis præcesserit in intellectu. S. D. q. 77. a. 2. in c. & 2. 2. q. 53. a. 2. in c.*

3. Probatum primò autoritate S. Script. & PP. Nam Apostolus Hebr. 3. & 9. peccata generatim vocat *ignorantias*. Matth. 15. & 23. peccatores appellantur cæci. Prov. 14. dicitur: *Errant, qui operantur malum.* D. August. de pecc. merit. & remiss. *Ignorantia & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum: ubi vides defectum bonæ operationis refundi in ignorantiam.* D. Gregor. 15. moral. c. 23. *Omnis peccator stultus fuit in culpa.* ergo S. P. in quolibet peccante agnoscat errorem rationis: & quem alium, quàm rationis practicè dirigentis?

4. Probatum secundò ratione: Omne peccatum in voluntate contingit, vel quia voluntas fertur in bonum, quod non est bonum; vel quia fertur in bonum non servato debito modo & ordine in prosecutione boni: sed quocunque modo ex prædictis voluntas peccet, semper præsupponitur aliquis error in intellectu: ergo. Major probatur. Cùm bonum sit adæquatum motivum voluntatis, vel illud bonum, quod prosequendo voluntas peccat, est verum bonum, vel non? Si est verum bonum, tunc voluntas aliter circa illud non peccat, nisi debitum ordinem non servando, quomodo Angelos peccasse dixi in Tr. de Ang. Vel non est verum bonum, & tunc voluntas peccat amplectendo bonum falsum & apparens pro vero bono. Minor etiam probatur: Voluntas tanquam cæca potentia non fertur in bonum, nisi quatenus sibi ab intellectu propositum: ergo si voluntas peccet amplectendo bonum falsum pro vero, debet in intellectu præcedere iudicium practicum, quo iudicetur objectum esse prosequendum, quod tamen non est prosequendum; & hic est error formalis. Si verò prosequatur bonum

sine debito ordine & modo, pariter debet in intellectu præcedere omisitio privativa debite considerationis, & attentionis ad illum ordinem, qui est error virtualis: ac consequenter in voluntate nullum est peccatum, quin præcedat in intellectu practico aliquis error sive formalis, sive virtualis. &c.

Confirmatur. Si quis cæcus ex sua natura dependeret ab aliquo ductore, non posset errare in ambulando, nisi errante ipso ductore: ergo cum voluntas ex sua natura in operando dependeat a rationis directione, non potest voluntas errare, nisi ratio in dirigendo aberrat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Qui sciens peccat, non peccat ex ignorantia; neque enim scientia & ignorantia stant simul, sed multi ex malitia peccant, scientes, se male agere: nam Jac. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illud.* Et D. August. enarr. 2. in ps. 68. *Sunt tales, qui iniquitatem suam noverunt, & in eâ pertinaciter perseverant.*

Respondeo, distinguendo majorem. Qui sciens peccat, non peccat per ignorantiam, vel errorem oppositum illi scientiæ, quam habet, concedo; quam non habet, nego. Ad cuius distinctionis explicationem & sensum scribi debet, quòd in peccantibus ex scientia & malitia, scientia diverso modo se habere & considerari possit. Primò potest quis habere scientiam in habitu, h. e. præviè aliquando comparatam, v. g. quòd talis contractus sit usurarius, quam tamen scientiam hic & nunc non applicat, cùm tamen adhibitâ sufficienti diligentia de illa cogitare, tamquam applicare possit. Secundò, potest habere scientiam etiam actualem, sed in universali, v. g. quòd die jejunii non liceat comedere carnes, ut qua tamen non descendit ad subsumendam propositionem particularem, quòd hodie sit dies jejunii. Tertio potest habere scientiam tam universalem, quàm particularem, ita tamen ut in particulari non applicet intellectum ad considerandum debitum modum ac ordinem tendentem ad illud objectum. Cùm igitur dicitur aliquis peccare ex scientia, supponitur scientia vel speculativa in universali; vel etiam practica, sed in habitu; vel denique actualis quoad substantiam non autem quoad modum vel ordinem, & si nihilominus erit defectus in ultimo iudicio, quò proxime dicitur aliquid agendum, vel omittendum.

Objicies secundò. Qui peccat contra conscientiam, non habet iudicium erroneum: sed multi peccant contra conscientiam: ergo multi peccantes non habent iudicium erroneum. Major probatur. Qui peccat contra conscientiam, peccat contra iudicium rectum rationis practicæ, sed hoc non est erroneum: ergo.

Respondeo negando majorem; & probat. distinguo: peccat contra iudicium rectum & non ultimum, concedo; ultimum, & ut vocat practice practicum, nego, & sic distinctâ minore nego consequentiam, ut enim Tract. de confid. didum, ipsum conscientiam dicitamen, succedente